



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Quòd amanti sapit Deus super omnia & in omnibus. XXXIV

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

& vt Lazarum viderent. Mundandus est ergo intentionis oculus vt sit simplex & rectus, atque vltra omnia varia media ad me dirigendus. *Matth. 6.*

CAPVT XXXIV.

Quod amanti sapit Deus super omnia & in omnibus.

I. Ecce Deus meus, & omnia. Quid volo amplius, & quid felicius desiderare possum? O sapidum & dulce verbum, sed amanti verbum, non mundum nec ea quæ in mundo sunt. Deus meus, & omnia. Intelligenti satis dictum est, & sæpe repetere iucundum est amanti. Te siquidem præsentem, iucunda sunt omnia; te autem absente, fastidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, & pacem magnam, lætitiæque festiuam. Tu facis bene sentire de omnibus, & in omnibus te laudare; nec potest aliquid sine te diu placere. Sed si debet gratum esse & bene sapere, oportet gratiam tuam adesse, & condimento tuæ sapientiæ condiri.

2. Cui tu sapis, quid ei rectè non sapiet? Et cui tu non sapis, quid ei ad iucunditatem esse poterit? Sed deficiunt in sapientia tua mundi sapientes, & qui carnem sapiunt; quia ibi plurima vanitas, & hinc mors inuenitur. Qui autem te per contemptum mundanorum & carnis mortificationem sequuntur, verè sapientes esse cognoscuntur; quia de vanitate ad veritatem, de carne ad spiritum transferuntur. Istis sapit Deus, & quicquid boni inuenitur in creaturis, totum ad laudem referunt sui conditoris. Dissimilis tamen & multum dissimilis sapor creatoris & creaturæ, æternitatis & temporis, lucis increatæ & lucis illuminatæ.

*1. Cor. 1.
Roma. 8. &
1. Ioan. 2.*

3. O lux perpetua, cuncta creata transcendens lumina, fulgura coruscationem de sublimi penetrantem omnia cordis mei intima. Purifica, lætifica, clarifica, & viuifica spiritum meum cum suis potentijs, ad inhærendum tibi iubilosæ excessibus. O quando veniet hæc beata & desiderabilis hora, vt tua me faties præsentia, & sis mihi omnia in omnibus. Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit. Adhuc, proh dolor, viuit in me vetus homo, non est totus crucifixus, non est perfectè mortuus. Adhuc concupiscit fortiter contra spiritum, bella mouet intestina, nec regnum animæ patitur esse quietum.

Roman. 7.

4. Sed tu qui dominaris potestati maris, & motum fluctuum eius mitigas, exurge, adiuua me. Dissipa gentes, quæ bella volunt; contere eas in virtute tua; ostende quæso magnalia tua, & glorificetur dextera tua; quia non est spes alia nec refugium mihi, nisi in te Domine Deus meus.

Psal. 88.

Psal. 72.

Psal. 39.

CA